

h. 62, II.

X 2002 962

Nat. I. 7

PANEGYRICUS  
REVERENDISSIMO AC SERENISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO



# AUGUSTO,

Primati Germaniae, postulato Archi-Episcopatus Magdeburgensis Administratori,  
Duci Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ ac Montium, Landgravio  
Thuringiæ, Marchioni Misniæ nec non superioris ac  
inferioris Lusatijæ, Comiti in Marcâ, Rayensbur-  
go & Barby, Dynastæ in  
Ravenstein.

*Quo*  
SERENITATIS EJUS Familia, Vita &  
Res præclarè gestæ levi quodam penicil-  
lo adumbrātur

in

## Illustris ad Salam Augustei

Auditorio Majori  
Valedictionis Loco  
dictus

à

JOHANNE BALTHASARE Falschneri/  
Weissenfelsâ-Misnico, Alumno Ducali.  
die 14. Julii A. O. R. M. DC. LXIX.

---

LEUCOPETRAE, Literis HIDEBRANDIANIS,

REVERENDISSIMI AC SERENISSIMI  
PRINCIPIS AC DOMINI,

# DNI. AUGUSTI,

Germaniae Primatis, Archi-Episcopatus Magdeburgensis postulati Administratoris, Sax. Jul. Cliv. ac Mont. Ducis, Thuringiae Landgravii, Misniæ, superioris pariter ac inferioris Lusatiae Marchionis, Marcæ, Ravensburgi & Barby Comitis, Ravensteinii Dynastæ, in Dicasterio Provinciarum Hæreditariarum  
Præsidi Eminentissimo ut & cæteris  
Consiliariis Nobilissimis

## VIRIS

Per-Illustri, Generosis, Maximè Strenuo, Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis atq; Consultissimis

DNO. GEORGIO DIETERICO à Roudock / Consiliario intimo, Principatus Saxo-Qverfurenensis Capitaneo, nec non Illustris ad Salam Augustei Inspectoris supremo.

DNO. GEORGIO FRIDERICO ab Hessdorff/ in Kyritsch Hæreditario.

DNO. ADAMO SAMUELIS Freyenstein / JCto Excellensissimo, Illustris Gymnasi Augstii Inspectoris & Jurisp. P. P. Præceptoris qvondam suo etiamnum desideratissimo, honoratissimoqve.

DNO. JOHANNI HELWIGO SINOLDO dicto Schuße / JCto celeberrimo.

Dnis Mæcenatibus, Patronis ac Promotoribus suis hoc in Patriæ Parentem Pietatis Monumentum  
in

debitæ Observantiae & Gratitudinis *τεκμηριον* ac ulterioris gratiæ ac promotionis promerendæ *σημηνιον*

nuncupat Author

JOHANNES BALTHASAR Fälechner/ LL. St.



I. N. J.



Iscessurus ego abhinc, Viri Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi atque Consultissimi, Excellentissimi, Per Reverende Clarissimi que, Domini Mæcenates, Patroni, Promotores atque Præceptores omni observantiae cultu sancte devenerandi, Tuque Corona Musarum florentissima. Discessurus

inquam, ego abhinc Almatique Patriam ab ineunte ætate Studiorum meorum benignissimam Matrem cum celeberrima Philyrea commutatus diu hactenus mecum deliberaui, quamnam pro acceptis beneficiis debitæ Gratitudinis post me relinquam Tesseram. Hoc autem mihi cogitanti tria Gratitudinis officia sese offerunt: Beneficia nimis rūm accepta gratā niente putare, eorundem magnitudinem maximis eisque assiduis extollere laudibus & demum dignè ea rependere. Qyoniam verò nec Serenissimi Norsti Magnanimitas, nec Vesta, Auditores Patroni ac Præceptores colendissimi, Modestia à me jam desiderat remunerandi vicem, nec fortuna mihi mea suggerit redhostiendi facultatem, si partes duas priores tanto officiosius & curiosius impræsentiarum exsolverem, me ingratu nomen ac notam aufugere posse ratus sum. Qyoniam verò haud ita pridem debitam Gratitudinem tam erga Præceptorem meum desideratissimum B. Dn. M. Andream Albinum Illustris hujus quondam P. P. & Scholæ Patriæ Rectorem meritissimum quā erga Patriam dulcissimam Urbem hanc Leucopetram ex hac ipsâ Cathedrâ, si non

*in Orat. Pa-  
rētali Albi-  
ni Professo-  
ris, & in O-  
rationē Pa-  
negyrica de  
laudib⁹ Leu-  
copetrae.*

verbis

A 2

verbis satis dignè, tamē animo, ut spero, non prorsus degeneri probavi; nunc nihil amplius restare arbitror, quām ut etiam erga eum, cuius Munificentia nunquam satis deprecandâ factum est, ut in almo hoc Lycéo Patrio fidelissimè informari potuerim, Reverendissimum nimirum atqve Serenissimum Principem ac Dominum, Dominum AUGUSTUM, Primatem Germaniae, postulatum Archi-Episcopatus Magdeburgensis Administratorem, Ducem Saxonie, Juliæ, Cliviæ ac Montium, Landgravium Thuringiæ, Marchionem Misniæ, nec non superioris ac inferioris Lusatiae, Comitem in Marca, Ravensburg & Barby, Dynastam in Ravenstein, Dominum ac Nutritum meum Clementissimum, gratæ mentis indicia proderem.

In vestrum igitur, Auditores omnium ordinum honorissimi, conspectum multò jucundissimum nunc Cathedram hanc ultimum conscendens prodeo, pro viriliteruitatis meæ AUGUSTO Principi Patriæ Parenti laudis erector, Trophæa ob insigiles, & celebrandas res gestas ac facta tanto Herœ digna. At, dum hoc facio, subvereor ac graviter extimesco, ne, dum devotum hoc familiantis eloquentiæ obsequium Principi potentissimo dicare ac consecrare cupio, illud mihi contingat, quod contigisse cuidam minus in suâ arte perito pictori facetissima Poëtarum testantur monumenta. Is enim aliquando (Nimiâ fortassis artis suæ fiduciâ ductus) cum Echûs effigiem, ejusqve nativum decorum curioso penicillo adumbrare tentaret, ex improviso pudore suffusus erat. Impatiens quippe illa & nullâ ratione indocta manus temeritatem perforans, cum nunquam ante nisi interrogatis responderet, præruptis tunc silentii frænis in ea prorupit verba: Itanè, pictor vane, quod nullo pacto fieri potest, tuis te coloribus & penicillô consecuturum putas? Si me vis pingere, pinge vocem, pinge animam. Non Echûs ego abditam faciem, sed Serenissimi Duci AUGUSTI

STI omnibus laudum titulis decorandas Virtutes mode-  
stâ deprædicatum ibo Panegyri. Sed ut in vestibulo sta-  
tim Orationis meæ per compendium qvâsi vobis, Audi-  
tores Optimi, de qvo impræsentiarum verba sum factu-  
rus, exponam. Hic est ille AUGUSTUS pius ac divinarum  
Virtutum satellitio instructus Princeps, in qvem augustus  
sangvis & virtus fortunaqve concesserunt, in qvo qvic-  
qvid cogitaveritis, Gloria erit, Bonum vestrum erit. Hic  
est ille AUGUSTUS Princeps, cui fasces submittit libræ  
justitiæ & Astræa illa cœlo lapsa non ambitiosius in aliâ  
qvâm in ejus serenissima mente dignum Majestate suâ col-  
locavit domicilium. Hic est ille AUGUSTUS, qvem a-  
mant probi, vereintur improbi, summi, mediî, infimi  
admirantur. Hic est ille AUGUSTUS, cujus auspiciis &  
Heroica Magnificentia Alnum hoc Gymnasium floret,  
cujusqve animadversionibus Iernæ flagitorum locum  
nullum habent. Hic denique est ille AUGUSTUS, sub  
cujus Imperio communis felicitas, sacrosancta religio,  
intemeritas legum, tuta qvies & prisca fides reviviscunt.  
Hunc, hunc, inqvam, augustissimum Patriæ Parentem  
AUGUSTUM ejusqve res præclarè gestas pro tenuitate  
meâ valedictionis loco vobis ob oculos ponam. Fateor  
eqvidem, non me Phidiæ artem excellentem callere, qvi  
vivis coloribus tantum Principem exprimere queam, nec  
Lysippit tenere peritiam, qvem in fingendo orbis domi-  
tore Alexandro æmuler: Idcircò Exemplum sagacioris  
illius pictoris seqvar, qvi cum artificio excelleret, inge-  
niotamen magis abundabat: Is velo obumbrasce dicitur,  
qvod penicillo exæqvare desperabat. Sic & ego Princi-  
pis nostri Virtutes omni laude & admiratione sublimiores  
religiosô silentiô venerabor.

Quid verò, anteqvam Orationis meæ vela pandam, à  
vobis, Auditores honoratissimi, qvorum animos Reve-  
rendissimi ac Serenissimi Principis nostri amor penetra-  
vit, petam, ut me benevolè attenteqve audiatis? Scio e-  
qvidem

qvidem hoc mihi dicas morisqve causa esse faciendum  
ac ne Rhetorum leges migrare videar : Sed idem super-  
vacaneum esse scio, benevolentiam eorum aucupari & ire  
attentionem excitatum, qvos ad audiendum tantò studiò  
tantâqve alacritate convenisse videam; qvorumqve favo-  
rem nullâ re magis inpræsens promerer possim qvâm lau-  
des Optimi Principis nostri, qvalicunqve etiam oratione  
celebrando vel ab oblivionis saltem putredine vindican-  
do. Favete ergò animis & balbutientem me tanta de re,  
qvæ disertissima qvoqve virorum doctissimorum ora  
fatigare solet ad dimidium horæ benevolentia vestrâ sub-  
levate.

Nec verò eorundem Rhetorum, morisqve pervulgati  
anxiè nimis ac superstitione nunc mihi premenda videtur  
orbita, scilicet ut longam alteqve repetitam orationem  
explicem de Principis Nostri, qvem laudandum suscepi,  
Patriâ, si enim dicerem in illâ, ea, qvæ suspicere mirari-  
qve vulgus in regionibus assolet, situin nimirum, urbes-  
qve splendidissimas, Tecta Magnifica, Palatia Regia,  
Arces inexpugnabiles, Turresqve ad cœlum usque sub-  
latas, si recenserem diuitias, qvas natura & rerum o-  
mnium Parens ac Procreatrix Terra in Saxoniâ cottidiè  
totô qyasi horreò spargunt in omnes hominum usus. Si,  
inqvam, hæc omnia & qvæ alia multa palmam cæteris  
Orbis Terrarum Regionibus præripientia coacervari  
possent, pro singulari præstantiâ rerum pari verborum or-  
natu exequerer, condignisqve laudibus evehem, mo-  
les foret.

Neqve à primæva origine dicam Natales, qvos si re-  
censere permitteretur, arcanâ Nomenclatione Regum,  
Imperatorum, Heroum omnium, donec ad ipsum Jovem  
pervenirem mihi foret opus. Sed intra brevitatis cancel-  
los me continens illas præsenti discursu contemplabor.  
Majorum imagines & ea saltem Avorum exempla, qvæ  
Regalem Imperatorum creandorum Dignitatem obtinu-  
re,

re, referam. Si ergò Generis Nobilitas & antiqua Ma-  
jorum Glorja aliqvid ad commendandam Personæ facit  
Dignitatem, qvod tamen extra omnem dubitationis a-  
leam veritati est consentaneum, qvippe paternos Spiritus  
retinere creduntur filii, qvorum nomine graves sunt, se-  
cundum Tacitum. AUGUSTUM certè Nostrum  
hoc multis summatibus præfert familiis & anteponit Ge-  
nealogiis, iis ortum esse Majoribus, qui famam præclare  
factorum terminarunt astris. Imperatorum clarissi-  
mus noster Justinianus, summam cuiusque Rœip. tuitio-  
nem de stirpe Ævarum ferum, armorum & Legum ve-  
nisse: Et, Imperatoriam Majestatem non solum ar-  
mis decoratam, sed etiam legibus armatam esse  
debere in principio Institutionum ponit: Ut utrumque  
tempus & bellorum & pacis recte possit gubernari:  
Et Princeps Romanus non solum in hostilibus  
præliis victor existat, sed etiam per legitimos tra-  
mites calumniantium iniqvitates expellat. Qvod  
Imperatoris monitum si alii quoque retrò ac post Reges  
ac Principes studiosè curarunt; Idem certe longè &  
non interruptâ serie Serenissimam Prosapiam Saxoniam  
sedulè egisse historiarum monumentis informatur. Si-  
qvidem ex hac inclytâ Domo extiterunt quamplurimi E-  
lectores ac Principes Justitiâ Clari Belloque potentes:  
qvorum fama, Nominisqve perpetua cœlebritas non mo-  
dò exteris & hostibus formidabilis fuit: sed & subditis at-  
que toti Imperio Romano solatum præbuit maximum.  
Et ob id etiam Illustris Dominus GEORGIUS DIETERICUS à  
Rondeck, Serenissimi Principis nostri Consiliarius inti-  
mus, Praeses & Inspector supremus undique fulgentissi-  
mus Augustam Saxonæ Domum in Proclamatione Il-  
lustris hujus Gymnasii summis evehit laudibus, qvod  
semper SACERDOTIUM cùm IMPERIO conjunxerit & in id  
principuè elaboraverit, ut præter rectam Juris ac Justitiæ  
con-

Tacit. 14.  
Annal. c. 59.



constitutionem in Provinciis ac Ditionibus maximâ Industriâ colerentur Academiæ, Gymnasia ac Scholæ. Qvis enim, qvi Historiarum jucundissimos fontes primis saltet, ut ajunt, labris degustavit, nescit. FRIDERICUM BELLICOSUM, qvi Electoratu Saxonico à Sigismundo Romanorum Rege, ob res contrâ Bohemos præclarè gestas & qvod eosdem ferocientes ad Bruxiam memorabili prælio fuderat primus ex Serenissimorum Principum nostro-  
rum prosapia, Anno Orbis redempti post millesimum quadringentesimum vigesimo sexto, die Petri ad vincula investitus est, singulari Clementiâ, atqve Munificentia celeberrimam Academiam ex ruinis Academiæ Pragensis, qvæ tûm propter dissidia Bohemorum & Germanorum penè erat collapsa, magno cum bono, non modò hujus Provinciæ, sed & universæ Germaniæ in Urbem Lipsiensem Anno Christi post millesimum quadringentesimum nono, feriâ secundâ post primam Adventûs Dominicam, introduxisse: qvam postea variis proventibus, partim ex patrimonio propriô, partim ex vicinis Episcopatibus, Misnensi, Martisburgensi & Naumburgensi, Canonicatus ipsi certos applicando, dotavit. Inter alia verò, qvæ in illâ Academiâ pietatis & scientiarum constituit ornamenta, Facultatem quoqve Juridicam ordinavit, cujus moderatione non solum Juventus ad Jurisprudentiam addiscendam informaretur, ac honores competenter conseqveretur; sed & consulentibus de Jure Responfa comunicarentur. Qvod institutum optimi Principis Electoris ita feliciter processit, ut præclarissimorum Principum Curiæ & Tribunalia semper pronunciata Facultatis ejusdem prædicarint, magnifecerint: atqve ex Collegio illo Viri in Jure & Politica prudentia Ensinentissimi veluti ex Eqvo Trojano acervatim prodierint.

II.  
FRIDERI-  
CUS II. pla-  
cidus.

Electorem Bellicosum seqvitur Filius FRIDERICUS hujus Nominis II. ob Clementiam singularem PLACIDUS dictus, Heros ex Heroë genitus, qvi non minori felicitate atqves

Pa-



Parēns Imperatori ALBERTO contrā Bohemos ac Polonos auxilia militaria , fugatis Hostibus , animosè præstit. Ac licet toto Imperii tempore Bellis tām ingestinjs Fratribus germanis indignis , qvām exteris tumultibus & incursionibus implicitus fuerit : tamen in ipsis etiam Mar- *Fabric.lib. 7.*  
tis certaminibus Justitiam exercere , leges censorias , *Orig.Sax.p.*  
nummarias & similes condendo atqve renovando non de- *m. 768.*  
stitit.

Sic Elector ERNESTUS hæres Patris , Princeps , *ERNEST 9.*  
teste Fabricio , Sapientiā , Virtute & Integritate Maxi- *Fabric.lib. 7.*  
mus , cuius Moderamine justo ac quieto subditi vires bel- *Orig.Sax.p.*  
lo amissas recollegerunt & Patriæ restituta disciplina est. *m. 789.*  
*Q*uod etiamnum laudatissimæ ejus ordinationes & leges *Fabric.lib. 7.*  
sumptuariæ , vestiariæ , mercenariæ aliaqve probant. *Orig.Sax.p.*

FRIDERICUS III. Saxoniae Elector multarum re- *m. 789.*  
rum cognitione , multipliciæ Experienciam , singulariæ *IV.*  
mentis sagacitate id obtinuit , ut non solùm cognomentum *FRIDERI-*  
*SAPIENTIS* fortiretur , verum etiam , ut Fabricius in *CUS III.*  
præfatione Saxonijæ illustratæ testatur , Consiliorum The-  
saurus , legum Defensor , morum speculum , Decus Prin-  
cipum , & juxta Nomen suum dives amator Pacis Eccle-  
siarum qve deniqve & Scholarum Nutricius optimus ap-  
pellaretur , hic post obitum Parentis ERNESTI , adepto  
Electoratu , Palæstinam Religionis causâ adiit , Bello  
Cameracensi contrā Venetos interfuit , variasqve in  
Imperio dissensiones periculosissima Bella minantes sin-  
gulari dexteritate composuit . Defuncto Imperatore Ma-  
ximiliano I. Vicariatum Imperii gerens delatam sibi Im-  
peratoriam Majestatem voto suo in Carolum V. Hispa-  
nia Regem Anno post millesimum qvingentesimum deci-  
mo nono die 28 Mensis lunii transtulit : Cum ante ali-  
quot Annos , scilicet millesimo , qvingentesimo secundo  
Academiam Wittebergensem liberalissimè erexisset at- *Fabric.lib. 8.*  
qve fundasset . In qvā laudatissimā Academiā , non mi- *Orig.Sax.*  
nus atqve Proavus ipsius in Lipsiensi fecerat , percelebre *p. 130.*

B

Justi-

Justitiae exercitium instituit. Et primus post Deum Martini Lutheri Theologorum illuminatissimi protector fuit.

V.  
**JOHANNES CONSTANS.** Cui succedit in Electoratu Frater **JOHANNES** cognomento **CONSTANS** Princeps Pietate, Fortitudine & Justitiæ Clarissimus. Hic admirabili constantiâ confessioni protestantium in Comitiis Augustanis Anno post millesimum quingentesimum trigesimo Carolo V. non modò exhibuit, sed & intrepidè retinuit. Præter expeditiones suas Italicas & Pannonicas, tumultus agrestium in opinata celeritate compescuit. In Ditionibus suis Jus & Justitiam ita exactè conservavit, ut pietas & Justitia æmulæ quasi noscerentur.

Fabric. lib. 8. Orig. Sax. p. 24.  
**VI.** Patre è vivis sublato, **JOHANNES FRIDERICUS** Electoralem Dignitatem adeptus est, Marte ambiguo unus, sed Pietate & Justitiæ non minus atqve Parens clarus. Hic ob reluitionem à Civitate Magdeburgensi oppidi Gommern sibi & Posteris suis Titulum Burggravii Magdeburgensis acquisivit. Libertaalitem suam erga studia etiam in rebus adversis exercere non destitit & fundamen-  
ta Domicilii Pietatis & Justitiae in Urbe Jenâ posuit, qvæ postea Filii Serenissimi successores Anno 1558. die Mensis Februarii secundo solenniter absolverunt.

P. 39.  
**VII.** **MAURITIUS.** Qvænam fuerit Fortitudo & Justitia Serenissimi Elec-  
toris MAURITII, qvi gloriofissimi Principis ALBERTI ob res præclarè gestas dextra manus Imperii dicti Ne-  
pos & HENRICI PII Filius fuit, primi de hac linea Elec-  
toris, id non libri saltē, sed etiamnum gestorum Mo-  
numenta testantur. Siqvidem ipsius Arma Europæ &  
Asia Monarchas terruisse Historiæ loqvuntur. Cujus  
Fabric. lib. 9. Orig. Sax. Munificentiam erga studia incredibilem Illustres tres  
p. 61. Scholæ, qvas aperuit Misnensis nempe ad Albim, Por-  
tensis ad Salam & Grümmanna ad Muldam nec non in in-  
tegrum restitutæ Academiæ Lipsiensis & Wittebergensis  
perpetuò prædicant. Et studium erga Justitiam indefes-  
sum ordinationes Provinciales Anno 1543. & 50. pro-  
mul-

mulgatae item instauraciones supremorum Judiciorum Curiarum Lipsiensium & Wittebergensium apud exteris quoque prædicatorum sub Annum 1549. & 50. factæ demonstrant.

Huic in Electorali dignitate successit augustissimus Princeps AUGUSTUS, qui Pietatis, Fortitudinis & Justitiae Famam totum implevit Orbem, nec immerito Justiniano nostro comparatur, quod in his Provinciis Juri & Justitiae certitudinem suis æquissimis Constitutionibus & ordinationibus perenni observantiæ dignis reddiderit.

Patris & Majorum vestigia insecutus CHRISTIANUS Princeps animi, corporis & fortunæ bonis Illustrissimus Turcicæ & Pontificiæ Tyrannidi Terror & Justitiae Defensor strenuus.

Post cujus obitum relictorum Pupillorum Illustrissimorum Curam & Electoratus Administrationem gesit FRIDERICUS WILHELMUS Dux Saxonie, ea, quæ ad Pacem, Tranquillitatem & Defensionem Romani Imperii spectabant fortiter procurans, seqve Justitiae Fautorem, Promotorem & Conservatorem multis Testimoniois præbens. Tandem quoque Gubernatione secundum LL. Imperii legitimo successori CHRISTIANO II. cedens, qui sedulò hoc egit, ut communis patria à Turcarum rabie & intestinis tumultibus liberaretur. Deum coluit, Imperatorem honoravit. Hic primus sibi & toti prosapia Saxonicæ Investituram Ducatum Juliæ, Cliviæ, Montium & reliquorum Comitatuum & Dominiorum adhaerentium acquisivit. Ordinationibus ad Amplissimum sumnum & florentissimum harum Provinciarum Judicium, quod Appellationum vocatur, singulare Justitiae posuit Monumentum. Decedens præmature Dignitatem Electoralē reliquit Serenissimo Fratri, Domino JOHANNI GEORGIO, Principi rara felicitatis, cui primo statim Gubernationis Anno ea, quæ nulli ex Electorib⁹ Antecesso-rib⁹ obtigerunt, ut post mortem RUDOLPHI II. Imperatoris ROMA-

IX.  
AUGUST⁹.

IX.  
CHRISTIA-  
NUS.

X.  
FRIDERI-  
CUS WIL-  
HELMUS,  
CHRISTIA-  
NUS II.

XII.  
JOHAN-  
NES GEOR-  
GIUS II.

**L**angvittius Rōmanī Imperii Vicarius primā vice salutaretur, ipsique  
Imperatoris summa Dignitas ac Diadema ab Electorali  
d. S. x. lib. 3. Collegio offerretur, bis conventus Electorum tranqville  
e. z. p. 7. visitaret, Regem Romanum placide eligeret, sibique  
legitimum successorem primum nasci cerneret. Hujus  
Principis Electoris à gloriissimis Majoribus implantata  
Pietas ex tot jubilorum & Festorum Eucharisticorum In-  
stitutione, ex Decisionis solidæ & Apologiz Saxonicæ  
adornatione, ex Erorum Rathmanni & Schwenckfel-  
dianorum aversione, ex concinnatâ Popillâ Evangelicâ  
oculatisimâ & ejus Apologiâ Principali fatis superque e-  
lucet. Armorum verò studium tricennale bellum de-  
fensivum Germanicum testatur atque demonstrat. Et  
Justitiæ propagandæ fervorem Ordinatio Judiciaria, qvâ  
gloriissimus Princeps Elector augustissimi Electoris  
**AUGUSTI** Avi sui Novellas Constitutiones ad omnem  
Posteritatem commendandas in perpetuam Noiñinis sui  
Gloriam perfecit & continuavit, manifestat, posterisque  
ob oculos pónit. Et ut multa in pauca conferam, qvæ  
jam in singulis recensitis Electoribus deprædicavi Virtu-  
tes, in easdem unus iste Elector Majorum Exemplis stimu-  
latus excrévit superavitq; **FRIDERICI** etenim I. bellicosí  
Tritavi sui Fortitudinem **FRIDERICI**. II. Atavi Mansver-  
tudinem. **ALBERTI** Abavi Teutonici Herculis ac dex-  
tra manus Imperii nuncupati Robur heroicum. **HEIN-**  
**RICI** Proavi Pietatem & repurgatae Religionis studium.  
**AUGUSTI** Avi verè augusti Felicitatem, Justitiam, Pru-  
dentiam, æternam Famam & celebrationem. **CHRISTIA-**  
**NI.** I. Parentis splendorem eximium, Heroicam virtutem,  
animique excelsitatem. **CHRISTIANI** II. Fratris Re-  
ligionis Lutheranæ fervorem pium & zelum ardentissi-  
mum fataliter in Reip. salutem ipsi inditum & concessum  
fuisse non libri saltem, sed etiamnum omnes homines,  
qvibus è meliore luto Titan præcordia finxit, testantur.  
**Q**uod si igitur fortis creantur fortibus & bonis,  
qvod

quod si est in Juvenis, quod si est in Equis Patrum Virtus,  
quod si nec imbellem progenerant Aquilæ columbam.  
**Q**uid miri quod & nostrum Principem tot Seculis nobilita-  
ta & haud unquam interrupta Majorum Virtus ad omnem  
Gloriam stimulat, ut tot ingentium & sapientissimorum  
Cæsarum, Regum, Electorum ac Principum Saxonum  
non alieno sed paterno avitoque exemplo non peregrinâ  
sed domesticâ memoriâ adjutus sequere suosque tutetur glo-  
riosus. Quid enim quæso, Pietatis, quid Magnanimitatis,  
quid Constantiae, quid Sapientiae, quid Prudentiae,  
quid Felicitatis, quid dici aut fingi Gloriam potest, quod  
non serenissimo Principi nostro implantarint exprimen-  
dumve reliquerint tot cum maximo honore dicti Heroum  
omnium Optimi, Maximi. Magnam omnino vim, ma-  
gnam necessitatem, magham possidet Religionem pater-  
nus avitusque sanguis, ex quo, si quæ bonitas concepta  
est, non modò expungi non potest, verum usque eò per-  
manat ad animum, ut summa Virtus atque Gloria conse-  
quatur, & sic semper congenitâ Patrum Virtute Majorum  
Gloria gaudet perpetuari. Scio eqvidem hæc tanta Ge-  
neris ornamenta Serenissimum nostrum inter prima non  
numerare, sed factis potius ostendere se non minus avita-  
rum Virtutum, quam fortunarum ex asse & solido esse  
Hæredem. Tantæ siqvidem in eo sunt Virtutum Excel-  
lentiæ, ut divinâ quadam æmulatione una alteri palmam  
præripere & cœli Olympiaco cursu certare invicem videan-  
tur. Sed mihi perplacet, Auditores honoratissimi, inper-  
texendo hoc Virtutum AUGUSTEARUM ordine à singu-  
lari ejus in supremum Numen PIETATE filum ac stylum  
ducere. Toties autem stupeo, quoties eam mecum repe-  
to, tali namque ipsius Vita Pietate est prædita, ut ea in  
tam Serenissimo Duce si adesset sola, arduum omnibus-  
que Principibus imitandum existeret Exemplum. Hunc  
enim Principem nostrum Virtus excepit nascentem, enu-  
trivit sapientia crescentem, perfecerunt autem Pietas & Re-

ligio adulterii. Divinum illud Evangelicæ Reformatio-  
nis opus, qvod Deus per FRIDERICUM Electorem Sa-  
pientem cœpit, qvod JOHANNES Elector Dei auxilio  
constanter continuavit, qvod JOHANNES FRIDERI-  
CUS bono cū Deo magnanimitter defendit, qvod MAU-  
RITIUS Elector fortiter propugnavit, qvod Elector AU-  
GUSTUS prudenter ab Hæresibus vindicavit, qvod  
CHRISTIANUS Pater & Filius christianè & piè fovit,  
qvod JOHANNES GEORGIUS I. tricennali Bello illi-  
batum & inviolatum conservavit, illud Reverendissimum  
nostrum Principem ferventissimo zelo nunc magis magis-  
qve propagare & tanquam Thesaurum omnibus Cræsi  
Cræsiqve Divitiis, omnibus Munditotius opibus potio-  
rem constantissimè custodire ex eo haud obscurè conspi-  
citur, qvod non solum ob horrorem, qvem nobis formida-  
bili manu in proximè præterlapsis Annis scyticus ille  
Iatro Turca incutiebat, Festa pœnitentialia plus vice sim-  
plici institueret, omnibusqve Ecclesiæ Ministris, ut feren-  
tiori zelo conciones pœnitentiales haberent & ut subditū  
summâ devotione veram pœnitentiam maturarent, pre-  
cesqve publicas majori freqventiâ celebrarent in  
mandatis clementissimè daret, sed etiam ut singulis annis  
in Festo Johannis Baptistæ Ecclesiæ Pastores Auditoribus  
suis Augustanam Confessionem proponerent & ut debitas  
pro maximo hoc dono cœlitùs mortalibus collato agerent  
gratias, admonerent, Anno 1668. die 9. Junii rescriberet,  
qvin imò ut in omnib⁹ Parochiis varia Scripta Theologica  
in primis Tomi B. Lutheri Altenburgi excusi compararen-  
gur, haud ita pridem ordinaret. O stupendam & raram  
in Principe nostro virtutem! O Exemplum dignissimum,  
qvod ferreo stylo exsculpatur & aureis literis formetur.  
Sacrosancta Religio uti maximum Reip. fulcrum ac ner-  
vus, ita Principi ornementum ac emolumentum est ma-  
ximum. Non constitisset immatura adhuc Imperio Ro-  
ma, nisi oportunâ Numæ Pompilii fraude in Dei reveren-  
tiani

100

84



tiani perfracti parentium animi fuissent. Quid, quæfō? Davidem ex infimo hominum genere in supremum terrenæ Dignitatis gradum evectum omnigeno honore beavit? Pietas: quid eum tot auspicatissimis bellis, tot felicissimis præliis, tot augustissimis victoriis, tot summis Triumphis donavit? Pietas: Quid Dominii & Imperii ejus Pœmæria longè lateqve dilatavit? Pietas: quid deniqve celeberrimam Nominis ipsius Gloriam in omnem divulgavit Posteritatem? Pietas: Quid tantam Salomoni Regum Sapientissimo conciliavit Gloriam? Pietas. Et quid Serenissimo Principi nostro Fata sic conciliavit, ut ei Fortuna tantum indulserit, quantum quisque vel in Cassum optat seu desperat? Pietas. Quænam causa impulsiva fuit ut Magdeburgensis Primatus & Archi-Episcopatus Proceres & ordines unanimi totius Capituli consensu & voto, fremente licet & indignante Pontifice Romano, Serenissimum Principe nostrum Administratorem & Antistitem sibi Anno 1628. postularent & trigesimo octavo introducerent? Pietas.

Pietas Dignitatem Principis tuetur, Pietas Populi obedientiam alit, Pietas mænia firmat, hostes procul depellit, nec non prosperitatem & Bonæ omnia impertit. Sicuti autem ex liquido quodam canali sponte suâ profilit lympha, ita non minus ex Pietate uti omnes aliæ Virtutes ita maximè ortum suum trahit Imperii ille occlus PRUDENTIA, ut Princeps non nisi pius, sapiens ac prudens verè sit oportet. Timor enim Domini, juxta Regii illius Vatis ac Psalmographi Davidis effatum, Sapientiæ initium est. Arragoniæ Rex Alphonsus, decies & quater sacro Codice perleto maximam Sapientiæ partem vendicabat. Quantâ noster AUGUSTUS Princeps præditus sit Prudentiâ, pro me jam loquuntur Viri, qui orchestra imâ spectant, siquidem excurrere in laudes negotiorum Patriæ maximorum ac difficillimorum, quibus Par-

Psal. 119.

rens



rens Reverendissimus omnem exercuit etatem, Juveni mihi fas non est, nec Experientia rerum Magistra me edocuit. Illud saltem dico: Nulla restanta, tamque difficultis esse potest, quam ille non & consilio regere & prudenter tueri & virtute confidere possit, utpote qui ab ineunte statim etate praevia Pictate, omnibus allaboravit viribus, ut Palladi & Minervae se totum devoveret & ad futuram Principatus Possessionem literarum apparatu viam sibi sterneret, ratus tanto se omnibus acceptiorem & Reip. utiliorem fore, quanto majori nexu & vinculo cum Musis jungeretur. Novit etenim Serenissimus Princeps Senatoriam Autoritatem, Principalem Gravitatem, Regiam Majestatem, Casaream sublimitatem suum certe honorem animique precium amittere, si Musis destituta inertis Ignorantiae manum & herbam porrigit. Imperatorem Trajanum Antiquitatum Secretarii laudibus in cœlum usque evchunt, quod Artes ingenuas earumque Professores in complexu, in oculis, in auribus habuerit & quod sub ejusdem Imperio studia repperint spiritum & sanguinem. Idem nunc de Serenissimo Principe nostro eternis laudum encomiis decantare jure possumus optimo, qui, juxta Hippocratis monitum in Epistolis ad Senatum Populumque Abderitarum, non Turres, nec Mænia, sed Viros Doctos atque Prudentes eorumque prudentia consilia sua intelligit propugnacula.

Prudentia itaque Augusti anta oculos positam, quid nunc de commendationis & famæ perpetuo fundamento, si Tullio credimus, Justitiâ ejus, sine qua nihil non modo laudabile in orbe, sed ne illum quidem Imperium potest existere, dicam? Hanc Dominam ac Regiam Virtutum ita intemeratam tenet Serenissimus Princeps Augustus, per manus quasi traditam à Gloriosissimæ memoria Parente Domino Electore Saxoniæ JOHANNE GEORGIO I. & candidè administrat tam Halæ Saxonum, quam apud Candidam nostram Petram, lati constituit

stitvit vim legibus, emendat veteres utilius & fert novas salubrius. Taciti illud, quod habet lib. 2. Annal. c. 34. in Serenissimi nostri Ditionibus ante aliquot Annos audiebatur. Ambitum nimirum fori, corrupta Judicia, Sævitiam Oratorum accusationem minitatum in Remp. irrepisse, Judiciorum Præfectos nimias Exactiones subditis imposuisse Rabulas, qui ne prima quidem scientiæ clementia vel Legum cunabula labiis suis unquam degustaverant, cruda studia in forum propellere, pro Ictis Legulejos pro Politicis Nebulones & pro Oratoribus Vitilitigatores in Forum prorupisse, qui nihil præter verba quæstus tantum gratiâ blaterarent, veritatem obscurarent, tempus judicandis litibus decretum battologiâ suâ inutiliter tererent, falsa pro veris evomerent litigantesque deciperent. Serenissimus igitur noster sagacissime hæc omnia prævidens, Officialibus suis & Causidicis sportularum judicialium Moderationem clementissime præscripsit, severissimè que illis injunxit, ne subditos imposterum illis onerarent atque exsugant, & ut Rabulæ isti, ut ignavum suorum peccus à præsepibus apum, ex Foro arcerentur, contrâ honesti, taciturni, probi, docti, veritatis studiosi, integri ac legitimi, rerum experientiâ edocendi atque examinati Viri ad proponendas lites in Judiciis admitterentur, gloriofissimè Anno hujus seculi. 65. ordinavit. Tales Serenissimus noster & intimos & Justitiæ constitutos habet Consiliarios, quibus res suas arcanas ad Imperii Romani & Ditionum suarum salutem promovendam pertinentes securè potest communicare, qui Consilia salutaria ad Dei honorem & Gloriam, Principis emolumendum, Patriæ libertatem & commodum directa valent proponere, qui in respondendo cauti, in consulendo prudentes, in agendo fortes, qui præterita habent cognita, præsentia probè perpendunt & futura ex anteactis prospiciunt: Ejusmodi

C

Con-

Consiliarios , qvi , qvid sit æquum aut iniqvum , justum  
aut injustum , qvid legibus conveniat aut cum iisdem li-  
tem & pugnam exerceat , in judicando intelligunt , qvi  
consilio & prudentia sua communibus Provinciæ malis  
medentur ; Nonne hoc Donum Dei excellentissi-  
mum ? Nonne hæc summa Principis & Principatus  
felicitas ? Macte hac Virtute . Serenissime Princeps !  
Sic pax , Lex , almaqve faustitas nitent ! Sie tuta  
Ques , sic prisca fides sub Imperio tuo reviviscunt !  
Sicuti autem acris Medicina leni malaginare tempera-  
tur ; Sie Clementia affectu Justitiae rigor leniendus.  
Qvod uti probè novit AUGUSTUS , ita Execu-  
tionis rigorem Mansuetudinis affectu nunquam non  
temperat . In irrogandis pœnis multos , qvi ob a-  
ttocia scelera & flagitia mortem meruerant , mitiori pœ-  
ni affectos vitâ donavit . Subditis , qvi in nuperri-  
mis Tragicis Incendiis magnam rei familiaris jacturam  
passi sunt , Tributa anniversaria , qvæ de agris & fun-  
dis , cerevisiâ coctâ , &c. persolvere debent , omnia  
ad aliquot annos remisit , ut Domos iterum extruere &  
rem familiarem de novo instaurare possint . Et ut  
rem in pauca conferam ? Serenissimo nostro amore  
Dei & Civium nihil est antiquius , qvi in summo fastigio  
non magnus magis qvâm bonâ audiri semper allaboravit ,  
inter potentiam , Clementiamqve medius . Quantus  
autem exinde , qvæso , amor in optimum Principem ,  
qvi diligi à suis qvâm metui mavult subditis elicetur ?  
Eberhardum Pium Ducem Würtemburgicum cum in  
Confessu qvodam Principum alius alia Terræ suæ Bona  
extolleret , dixisse ferunt : se meritò unico faltem Re-  
gionis suæ fructu gloriari : Qvod in qvam cunqve par-  
tem illius solus foret ipse delatus , si acqviscere libe-  
ret , tutò & cum omni securitate in cuvis ex suis subdi-  
tis , qvi obviam factus esset , sinum deponere caput  
& somnum capere posset . Qvibus paucis effecit , ut  
cæte-

cæteri Principes palmam ipsi deferrent, faterenturque; alia omnia, quæ ostendandæ potentiae causâ in medium adduxissent, infra hoc bonum jacere, nec cum eo comparari posse. De hac subditorum benevolentiâ certe & AUGUSTUS noster gloriari potest, quem Cives sui non secus ac Parentem Liberi amant, pro ejus Vitâ, Salute & incolumitate ad Deum vota faciunt assidua, nec non pro eodem Caput suum summis periculis objicere & sanguinem profundere minime dubitant. Qvis igitur Principis nostri mansueti & Clementis vitam negaret beatam? quem faustis omnibus omnes boni prosequuntur.

Nunc restat, Auditores omnium ordinum honoratissimi, ut & vobis Cultorem insignem liberalitatis, quid liberalitatis? imò Heroicæ potius Magnificentia producam pium, prudentem, justum & Clementissimum Principem AUGUSTUM. Utinam autem nunc Linguae mihi essent centum, centumque ora, quibus tantam in eo virtutem pro Dignitate & debitâ sublimitate depraedicare possem. Cyro Persarum Regi apud Xenophontem subditi sui tale concinnarunt præ-*Xenophon.* conium: οὐχ ὁ κύρος τεσσαράκοντας ὄλως χειρουργεῖς αλλ. lib. 8. Cyro λαὸς δίδεις ηὐπόμενοι ἡδεταί; Ingenium Cyri non est *pad.* tale, ut ditari omnino velit, sed dando magis quam possidendo lætatur. Quali, quæso, jam nostrum Principem decantem Encomio, cuius Heroicam Magnificantiam non solum nos subditi veneramus, sed & Orbis omnis admiratur, publicat, cantat, sonat & ipsi Cœlo inseret sive Posteritas, sive ubi non est Immortalitas. Non vult Princeps noster munificentissimus aurum & argentum in Thesauris custodire, sed in medium profert, ut benignitate suâ soletur inopes. Dico inopes: Non enim Princeps noster cum Alexander Magno dicit Homini vesano, qui nihil anime

non grande concipit, non dat Homini stulto, non  
dat superbo, non dar fastuoso, non dat inutili Terra  
ponderis. Sed Magnificentiam suam prædicant Vidiæ  
& Orphani, prædicant Scholares, prædicat Studioſa  
Juventus, prædicant pauperes, & prædicant suppressi  
& propter paupertatem ad Eruditionem adspirare non  
conantes, imò prædicat & perpetuò prædicabit, Illuſtre  
hoc quod Munificentissimus Princeps vestigia Ma-  
jorum suorum legens, turbulentissimis temporibus, in  
quibus effratisimus & superbissimus Hostis noster ju-  
ratus Turca in ipfas Hungariæ reliquias debachabatur,  
& tot præterea concurrentibus ad Regiam & Aedificia  
varia impensis, absqve ullo subditorum adminiculo &  
collationibus propriis iusqve maximis sumptibus in Dei  
honorem fundavit, fundatumqve liberalissime hacte-  
nus conservavit AUGUSTEUM. O igitur inesta-  
bilem & plusquam Heroicam Magnificentiam! Ho-  
norum & Immortalitatis appetitum animis Generosi-  
siniis semper fuisse ingenitum ex Historiarum Monu-  
mentis informamur: Sic Alexander Heroum ille,  
quos Mundus vidit, maximus, ut jam alia Exempla  
sicco pede præteream, ægerrime ferebat Patris victorias,  
nihil sibi reliqui fore, dicens, si Pater omnia  
subegisset. Et respondentibus Amicis: Hæc i-  
psi parari omnia: Se, inquit, parvi ducere, qvam  
late regnet, si Gloriæ parandæ materia eripe-  
re cur. Ita & noster Serenissimus non solum Majorum  
Gloriæ sed & propriâ, non solum Majorum potentia  
& factis plus quam Heroicis sed & propriis & recentibus  
gaudet: Præter illud enim maximum quod effecit ut nimi-  
rū augustissimam Mosarum sedem Illustre hoc Augusteum  
fundandum susciperet, susceptum maturaret, maturatum in  
sempiternam & nunquam intermorituram Nominis sui  
Gloriam perficeret, etiam immortali cum laude Ca-  
stellum

stellum illud Heldrung ab Hostiis insultibus munitum  
ædificavit , qvin imò in candidâ nostrâ Rupe Regiam  
**AUGUSTIBURGIAM** à se dictam futuram Prin-  
cipum sedem extruxit. Et ut Imperii sui fines dila-  
taret non modò novum Principatum Saxo-Qverfurten-  
sem instauravit , sed & Comitatum Barbyensem sibi po-  
sterisqve suis acquisivit , ac Ditionibus suis adjecit.  
O facta tanto Principe digna ! O nunquam fatis lau-  
danda ! O in omne Ævum deprædicanda ! Agite ,  
Europæi , Principem nostrum extollite , nisi ipsum Cœ-  
lo intuleritis , totò Cœlō erraveritis ! Qvod olim Im-  
perator Orientalis secundus LEO ille MAGNUS u-  
nicè in votis habebat , scilicet ut Stipendia Militum  
in Doctores artium Boni publici ergò conferan-  
tur , id nunc AUGUSTI nostri temporibus evenit  
qui sub Togâ magis qvâni Sago & inter liberalia otia  
Negotiaqve qvâm ancipitia inclarescere mavult. Sub-  
indè scilicet sibi in memoriam revocat Serenissimus no-  
ster illud , qvod Imperatorem Orientalem primum  
**MARTIANUM** semper in ore habuisse Historici  
memorant : Dum in pace esse possumus arma ne  
induamus Lampada Serenitati Suæ tradidisse credo  
Avos suos Electores Saxoniæ ERNESTUM , FRI-  
DERICUM SAPIENTEM & quem Virtute non  
minus qvâni Nomine tam constanter exprimit AU-  
GUSTUM , sub qvorum Imperio justo ac quieto sub-  
diti vires Bello amissas recollegerunt. Floruit enim  
tum temporis prosperitatis Parens ac nutrix Pax inté-  
grè , adfuit copia & abundantia rerum , viguit Ci-  
vium & subditorum in Urbibus & Pagis Concordia &  
Tranquillitas , Arma conticuerunt , in Salvo fuerunt  
Academiæ & Scholæ Virtutum seminaria. Talem  
gratam quietem , animumqve pacificum Duci nostro  
omnes subditi Bellorum , cruentæqve victoriæ pertæsi

C 3

nunc

nunc etiam gratulanteur, sub Principe qvippe nostro  
-- -- -- -- redit Concordia Virtus  
Cumqve fide Pietas alta cervice vagatur.  
redit agris cultus, redit sacris Honor, redit securitas  
subditis, redit certa cuiqve rerum suarum possesso,  
nunc verè impletum est, qvod de eo jam pridem  
cecinit vates:

*Abrabam.* Post angusta dabit Populis augusta benignus  
*Hermannus* Hoc sub Saxoniz Principe multa Deus.  
*in Genealo-* Sed quid plura? Longum hic esset, Auditores hono-  
gia carmi- ratissimi, perseqvi singula facta & res præclarè gestas  
nicâ Regū, Serenissimi Principis nostri AUGUSTI. Qvod si  
*Elect. ac* enim cuncta Corporis mei membra verterentur in lin-  
*Principum* gvas & omnes artus humanâ voce resonarent, dignis-  
*Sax.* tamen laudibus tantum Principem nunquam evehereni.  
Interim verò niemoriam tanti beneficij à Serenissimo  
Principe nostro AUGUSTO in meam Tenuitatem col-  
lati nullus Temporum Tractus, nulla seculi injuria a-  
nimō mēo exīmet, nulla obliterabit oblivio æternum!  
Pro Serenissima Domo ejus cunctis vitæ meæ diēbus ca-  
lidis Deum sollicitabo precibus & qvicqvid à me flue-  
re potest, ad pedes Serenitatis ejus projiciam, agamqve  
hoc, ut non mihi solùm sed Patriæ & Parri Patriæ na-  
tum me existimem.

Omnipotens Dominus Mundi fabricator & Autor  
Cui Mare, cui Tellus, cui Cœlum paret & Aether  
Augustum incolumem servet foveatqve potenter.  
Det, qvæcunqve rogat, adversaqve spicula fortis  
Avertat capite áqve ejus capite atqve suorum;  
Qvicqvid agit, bñè fit; pia semper vota secundet  
Consiliis adsit moderator & ista secundet.  
Floreat Augustus magis undiqve & undiqve semper.  
Augustus vigeat magis undiqve & undiqve semper.

D I X I.

Ad  
Serenissimum Principem ac Dominum  
**DN. AUGUSTUM,**  
**Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ ac**  
**Montium Ducem, &c.**

**H**eroum palmare decus, celsissime  
PRINCEPS,  
Accipe devotæ pignora fida manus  
Accipe FALKNERI laudes TE PRINCI-  
PE dignas,  
Accipe, qvas doctis inserit ille typis.  
Accipe; dumqve faves, faveat TIBI, tan-  
taqve nobis  
**MUNERA** Cuncti potens perpetuare  
velit!

**L. JOHANNES OLEARIUS,**  
P. P. Universitatis Lipsiensis  
h. t. RECTOR.



Санкт-Петербург  
Государственная публичная  
библиотека им. А.С. Пушкина

# Motion Picture Discourse

сигналы звуками

Von M. C.

h. 62, II.

X 2002 902  
PANEG

REVERENDISSIM  
PRINCIPIA  
DOM

A U G U

Primati Germani

chi-Episcopatus Magdeb  
Duci Saxoniæ, Juliæ, Clivi  
Thuringiæ, Marchioni Mi  
inferioris Lusatijæ, Com  
go & Barby,  
Raven

SERENITATIS E  
Res præclarè gestæ l  
lo adun  
in

Illustris ad Sa

Auditorie  
Valedictio  
die

JOHANNE BALTE

Weissenfelsâ-Misnic  
die 14. Julii A. O.

LEUCOPETRÆ, Literis

